
DE
PETRO
DUNINO

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

relat
Box
45-152-4°
(LN·bis 356)

Om grev Petrus Duninus / Danus, der skal være kommet til Polen med
anbefaling fra kongen af Danmark og med store rigdomme, læses
i Martini Cromeri De origine et rebus gestis Polonorum, jf.
R. Nyerup i Minerva sept. 1787 s. 264-73. Om betegnelsen Danus
eller tilknytningen til den polske slægt Duninus er det primære,
er vel uvist. Cromeri fremstilling er ganske konfus. ED 1961.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
KØBENHAVN
1953.714.

B 679

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

NARRATIO DE
PETRI DVNINI GESTIS ET
MORTE CALAMITOSA.

E lib: 5. & 6. Martini Cromeri Hiſt. Polon: deſumpta:

AD CALCEM ANNEXA SVNT
Carmina diuerſorum:

Ad
GENEROSVM AC EGREGIVM
DOMINVM JACOBVM DVNINVM, SSPOTVM
à VVoleſſpoto, & in Scodkovvitz, Illuſtriß:
Principi ac D. D: CONSTANTINO
de Oſtrog &c. à Se-
cretis.

PRAGÆ,
EXCVSVM IN OFFICINA GEORGII
NIGRINI.
Anno: M. D. LXXV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

EX ISAIA VATE.

Aſtus & ambitio muliebris fœda nocensq́;
Eſt ſexui infirmo fragiliq́; vaſculo.
Morigeras decet eſſe viris, curaq́; placere
Non exteræ, verùm domeſticæ rei.
Fœmina nulla quidem placet imperioſa: ſuperbam
Odit Deusq́; homoq́; prudens deſpicit.
Caluicio hinc peplum ſpreta, ornatumq́; relicta
Mutat: domuiq́; patriæq́; flebilis.
Donec ad extremum deſerta & perdita viuat,
Æuumq́; degat omnium miſerrima:
Ut, niſi maturè reſipiſcat, reddita frugi,
Sit præda & eſca auari optima Tartari.

Thomas Mitis.

NARRA-

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

NARRATIO DE PETRI DV-
NINI *geſtis & morte calamitoſa.*

§ (* * *) §

CAuſa expeditionis Danicæ Boleſlao
Criuuouſto (1124. anni) fuitPetrus,
clara & illuſtri apud Danos ortus fami-
lia: quì cùm ſe iuueuis in aulam Boleſlai,
quæ tunc longè florebat apud exteros glo
ria rei bellicæ, contuliſset, magna ingenij dexteritate, in-
duſtria, virtute, officio & ſuauitate morum, ad hæc com-
mendatione Regis Danorum, citò ſe in gratiam & ami-
ciciam Boleſlai inſinuauit, ita vt poſtea multis magniſque
poſseſſionibus, & in primis comitatu Scrinnenſi, & vxore
illuſtri è genere Ducum Ruſſiæ, quæ Sbiſlavvam priorem
Boleſlai coniugem cognatione attingebat, ab eo cohone-
ſtaretur. Perdidicerat autem linguam Polonicam Petrus,
& ita ſe ad mores Polonorum accomodabat, vt nemo
tanta illa bona externo homini inuideret. Pater verò eius
Guilelmus, cui Suentoſlao nomen noſtri dedêre, facilè
princeps erat procerum Daniæ, & plurimùm valebat gra-
tia apud Henricum regem Danorum, præfectus ab eo ma-
ximis quibuſque regni negocijs. Cum autem Regem A-
belus frater occidiſset, regnumq́ue inuaſiſset, habebat in
poteſtate ſua theſaurum regium ingentem pater Petri. Cer
tiorem is filium facit rerum Danicarum: admonet, vt
aliquanto numero militum veniens, theſaurū illum aufe-
rat, potiùs quàm vt is ad manus crudeliſsimi parricidę, & in
uiſi omnibus ſuis tyranni perueniat. Refert ea de re ad Bo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

leſlaum Principem Petrus. Pollicetur is non grauatim opem ſuam, cùm vt homini de ſe benè merenti gratificaretur, tum quòd ea expeditione & opes Poloniæ augere, & nominis ſui gloriam trans mare etiam, & ad extremos Septentriones proferre & propagare cupiebat. Itaque claſse apud Gdanum Pomeraniæ maritimum oppidum, ad tranſportandum exercitum inſtructa, diſtributoque in milites donatiuo, cum primùm per anni tempus rectè potuit, naues conſcendit : & commoda tempeſtate vſus, improuiſus in primo littore Daniæ, ad quod claſsis appulerat, nemine prohibente copias expoſuit : dimiſsisq́; circum proceres & nobiliores Danos nuncijs, per familiares & miniſtros Petri ac patris eius, omnium Danorum volũtates facilè ſibi adiunxit : cùm profiteretnr ſe vlciſcendi parricidæ tyranni, & vindicandæ libertatis, Danorum cauſa aduenïſse. Tyrannus deſertus à ſuis profugit. Boleſlaus facilè potitus Dania, munitiones Danis reddidit : regem eos, quem vellent, creare ſibi iuſsit. Confectis & conſtitutis rebus omnibus, theſaurum & omnem Petri cognationem ſecum auexit: & ſecunda nauigatione vſus, paucis diebus in Poloniam reuerſus eſt. Fertur autem ſucceſsu temporis hic Petrus ſeptuaginta ſeptem templa diuerſis in locis in Polonia de ſecto lapide extruxiſse ac dotaſse, quorum pleraq; adhuc extant : itemq́; duo monaſteria ijs, qui ſe Præmonſtratenſes vocant, qui tunc primùm extiterunt : alterum quidem puellis in Vladiſlauienſi diœceſi, in Chalino pago, quod poſtea Strelnum trãſtulit : alterùm verò viris, in ſuburbanis Vratiſlauienſibus, titulo Sancti Vincentij, quod Vratiſlauienſes noſtra me-

moria

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

moria prætexu metus Turcarum, demoliti ſunt. Florent adhuc in Polonia huius ipſius Petri poſteri, cygno in rubro ſcuto inſigni vtentes: indeque Labenciorum nomen habet ea familia. Nonnulli etiam peculiariter Dunini, hoc eſt, Dani vocantur.

Idem lib: 6. de VVladiſlao fratribus infeſto, &c.

PEtrus monendo & obiurgando principem ab inſtituto auocabat, quæ res ei, ſi non exitioſa, calamitoſa quidem certè fuit. Nam Vvladiſlaus, vt omnibus de rebus cum vxore (Criſtina) cõmunicabat, ita de Petri quoque conſilio ac ſtudio ipſi narrauit. Excanduit ſubitò in hominem iracunda mulier alioqui etiam ipſi infenſa, ex huiuſmodi cauſa. Venatum fortè VVladiſlaus princeps & Petrus hic in remotas ſyluas ierant: ibi totum diem inueſtigandis & perſequendis feris defatigati, ad veſperum ad focum conſtructa è ceſpite menſa, cùm ſe pane & ferina carne, & aqua fontana vtcunque refeciſſent, & humi ſtratis penulis cubituri eſſent, VVladiſlaus domeſticarum lauticiarum & mollium ſtratorum recordatus, ioco Petrum appellans: Mollius, inquit, nunc Petre vxor tua cum Abbate Scrinnenſi ſiue Suleouienſi cubat, quàm nos. Petrus contrà, vt iocum ioco retunderet: Fortaſſe, inquit, & tua cum Dobeſſo. Erat autem Dobeſſus iuuenis in equeſtri ordine non inelegans, quo familiariùs Criſtina vtebatur, ita vt muſſitaretur vulgo, eum cum illa clàm conſueuiſſe. Tetigit id dictum principis animum: & ſermonibus quidem tunc iociſq; finem fecit, vultu verò ne poſtea quidem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

ſatis diſsimulauit ſiue dolorem, ſiue ſolicitudinem: incertum, liberioré ne dicto Petri offenſus, an de crimine vxoris ex verbis Petri, & ſuperioris temporis coniecturis, quas non tam ſcrupuloſè ad eam diem notârat, ſuſpiciones colligens. Criſtina vbi triſtiorem cogitabundumq; præter morem virum reuerſum animaduertit, ſciſcitatur cauſam: diſsimulat aliquandiu VVladiſlaus. Ad extremum victus blanditijs & importunitate vxoris, detegit ei vulnus animi ſui. Inde grauiores ea in Petrum iras concœperat, occaſionemque vlciſcendi eius quærebat. Quam cúm fortuna percommodã attuliſse videretur, in eò quòd Petrus apertè cupiditati principis aduerſabatur, ibi verò inſtat violenta mulier apud maritum noctesque diesque, vt Petrus de medio tolleretur. Eo viuo, nunquam voti compotem futurum VVladiſlaum. Erat enim vir ingenti ſpiritu Petrus, ſummaque prudentia præditus: quippe qui præter priuatas opes & facultates ampliſs: Caliſsienſem Cruſuicienſemque tractum omnem Boleſlai Criuouſti nomine adminiſtraſset, tunc autem VVratiſlauienſi præeſset. Subornat tandem Dobeſſum Criſtina, partim probri infamia irritatum, partim pollicitatione bonorum Petri illectum, vt eum quouis modo vel caperet vel interficeret. Non eſt tamen auſus Dobeſſus hominem aperta vi aggredi: ſed obſeruabat tempus, quo per fraudem eum incautum opprimeret. Fortè Petrus nuptias filiæ, quam Iaxæ Serborum ſiue Vinidarum duci in matrimonium collocabat, VVratiſlauiæ inſigni pompa atque celebritate apparabat: eò ſe Dobeſſus quoque magno comitatu confert, ſecurũque & nihil huiuſmodi ſuſpicantem Petrum ſolùm fortè

conſpi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

conſpicatus, dum miniſtri circaa apparandas nuptias, & hoſpites comiter accipiendos ſatigunt, correptum celeriter paratis & diſpoſitis ad hoc equs aſportat, & ad principem adducit. Diu, quid eo faceret VVladiſlaus, animi dubius fuit. Reuerebatur hominis dignitatem, gratiamque popularem: Reminiſcebatur, quo is honore apud Patrem ſuum fuiſſet. Contrà ſuggerebat Criſtina, ſi incolumis Petrus dimittatur, acerbiorem eum capitalemque hoſtem fors principi, iniuria illa exacerbatum. Vbi cunctari virum videt, minatur ſe ab eo diſceſſuram, vbi impunè probro proſtitutæ pudicitiæ afficeretur. Vicit tandem perfecitque, vt indicta cauſa, lingua Petro præcideretur, atque oculi effoderentur. Sic ei, & ſæpè multis, liberior cum principe iocus malè ceſsit. Vixit tamen poſt eam calamitatem Petrus, quinque annos. Feruntnonnulli, quemadmodum Dlugoſſus memorat, ei poſtea viſum & ſermonis vſum diuinitùs reſtitutum fuiſſe, propter pietatem, qua ſumma erat. Mortuus, apud VVratiſlauiã in ſancti Vincentij, quod templum & monaſterium ipſe condiderat, honorificè ſepultus eſt.

IN IN-

IN INSIGNIA GE-NEROSI AC EGREGII D. IACOBI Sſpoti à VVoleſſpoto, & in Scodkovvitz. &ç.

THOMAS MITIS LYMVSEVS F.



Danicus in rubro ſcuto qui cygnus oberrat,
Et canit ad ripas, Viſtula magne, tuas,
Ille Duninorum gentis Petrus inclytus auctor,
Atq; Boleſlai Regis amicus olor,
Arma Iacobe tibi liquit Virtutis auitæ,
Sed virtute tua nobilitanda magis:
Principis Oſtrogij vt qui nunc ſecretà fidelis
Conſultor tractas, Rudnicioq; faues,
Regia pertractes eadem vtraq; poſtmodo, & almam
Promoueas Chriſti, Chriſtiadûmq; fidem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

AD EVNDEM IN POLONIAM REDEVNTEM ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ, SCRIPTVM

nomine ſodalitatis literatæ Rudnicenſium.

Cum procul in patrias, noſtris è finibus, oras
  Inter Lechidas, Sſpote, redire pares,
Magne vir ingenio, virtuteq́ clare probata
  (Impoſita vnde humeris ſarcina magna tuis)
Intima mox noſtri ſubiit penetralia cordis
  Iuſtior, ac poßis credere fortè, dolor:
Scilicet vt tibi quos iunxiſti nuper amico
  Fœdere, perpetuum quod DEVS eſſe velit,
Hos modò deſereres, quibus ancora ſacra fuiſti,
  Conſilio præſtans, auxilioq́ potens.
Excultus ſtudiis, nec in vllo durus & aſper,
  Ferre tuis noſti lene patrocinium.
Cur ita nos ſobolem ſemoti more parentis,
  Deſeris, atq́ abitu vis viduare tuo?
Non obtuſa adeò geſtamus pectora, nec tam
  Extremo poſiti, crede, ſub axe ſumus,
Illud amicitiæ ſanctum & venerabile nomen
  Vt queat in precio nos apud eſſe leui:
Vllo ne chari ſtudio teneamur amici,
  Quin memori oblitis tam citò corde cadat.

B Hæc

Hæc ſunt ſigna parum gratas teſtantia mentes,
A nobis ſed quæ ſint aliena, ſcias, (ras,
Quòd prius hanc animam ſuperas mittemus in au-
Quàm fiat meriti gratia nulla tui.
Ergo graues cauſæ quoniam te, Sſpote, videntur
Cogere, nobiſcum ne remanere queas,
Patria te ſtimulet, cuius tibi inhæret imago,
Ingenui Patria carius ecquid habent?
Iam, quæcunq; licet nobis incognita res ſit,
Te ratio facti conſiliumq́; vocat,
Vade boni Genii ductu, te ſeruet IESVS:
Seu fueris terra ſeu quoq; vectus aqua.
In cunctisq́; probè ſartum tectumq́; periclis
Reddat, & amotis cladibus, ipſe tegat.
Hoc tibi noſtra cohors Muſis addicta precatur
Quâ Rudnicenſes alluit Albis agros,
Vtq́; decet, quantumq́; tua pietate mereris,
Exoptat, ſoſpes reſtituare tuis.
Cumq́; tibi dabitur vultus ſpectare ſerenos
Principis, & dextræ iungere poſſe tuam,
Cui benè cum placeas ſecreta negotia tractans,
Officii haud fuerit gratia ſurda tui,
Ne tibi pro nobis & noſtris ſit graue pauca hæc
Promere, dum poſcet res id, et hora feret:

Oſtrogi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

Oſtrogi Princeps, optat tibi CZechia vitam,
Rudnicium inprimis, quod ditione tenes,
Hærediq́; tuo, dominoq́; ſuo anxia poſcit
Plebs à Patre DEO *proſpera cuncta dari.*
Talia, vel multò refer his potiora, monebit
Quæ ſpirans labris ſuada referre tuis.
Sic tibi creſcat honor nullo moriturus in æuo,
Qualis eat noſtro ſemper in orbe tuis.
Sic quoq; longæui viuas in Neſtoris annos,
Soſpes vt hinc abeas, huc redeasq́;, vale.

AD EVNDEM
Sylueſter Falco, Piſcenus.

Ecquid digreſſus noſtræ confinibus oræ,
Officii cura te reuocante graui,
In patriam curſu ſoſpes felice reuerſus,
Veniſti CHRISTO, *Sſpote Iacobe, duce?*
Ceu modò maginibus clares ſpectatus auorum,
Sic olim has gemines nobilitate tua.
Qualia dum meditor noctesq́; diesq́;, ſalutis
Nam pia me tangit ſollicitudo tuæ,
Multa velut multos incommoda ſæpè ſecuntur,
Longæ vbi coguntur tædia ferræ viæ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

Non potuit mea mens, quin eſſet grata, teneri,
Sit precor, officio non grauis ira pio:
Ecce mihi tandem lætorum nuncia venit
Fama per immenſas æthere lapſa moras,
Te reducem & ſaluum patrios tetigiſſe penates,
Quod fauſtum & fœlix ſit tribuente Deo.
Nam, tua quæ virtus, animi candorq́ue probati
In me perpetuus nec labefactus adeſt,
Spiritus hic noſter prius attenuandus in auras
Ibit, & in rapido deſeret oſſa rogo,
Quàm ſubeant animo meritorum obliuia noſtro,
Et tua quàm pietas excidat iſta mihi.
Perpetuò aut nobis tecum foret vſus, ab oris
Non ita vel noſtris digrederêre citus,
Crederer infauſto minimè ſub ſidere natus:
Unde meæ ſtarent res meliore loco.
Præſentem ſpectare quibus contingit amicum,
His erit hic quaſſæ portus & aura ratis.
Eſt potior quouis precio ſincerus amicus,
Cuî nunquam reddi gratia digna poteſt.
Talis quòd fueris mihi ab illo tempore, quo ſum,
Neſcio cur, viſus dignus amore tuo,
Id liquidò poſſem indubiis oſtendere ſignis,
Ni foret alterius temporis iſte labor.

Fac,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

Fac, rogo, perſiſtas animo propenſus eodem,
A noſtro quamuis orbe remotus agas,
Meq́ tuo, licet abſentem, tueare fauore:
Quo pede cœpiſti, ſic benè ſemper eas.
Nos quocunq́ loco, vel tempore iuſta facultas,
Te memori gerimus pectore & ore, datur.
Ante meos oculos tua dulcis oberrat imago:
Intueor vultus qua ſine fine tuos,
Hoc tamen interea carmen rude, pignus habeto,
Conſulitoq́ animo candidiore boni.
Carmina ſeceßum ſcribentis & ocia quærunt:
Ipſe aliis teneor, te quoq́ teſte, magis.
Carmina nulla mihi totum ſunt ſcripta per annum,
Vnde fit, vt vena pauperiore fluant.
Quod venit è facili, eſt carmen laudabile, vena:
Hîc nimis intenti cura laboris abeſt.
Viue valeq́ dies viuacis Mathſaleh, & me
Mentis inoblito conde reconde ſinu.

AD EVNDEM

Ioachimus Grocinus Zatecenſis.

Reddita quæ nobis eſt nuper Epiſtola, vénit,
Sſpote, tuo noſtris nomine miſſa plagis.
Quæ, quia ſigna tui gerit indubitata fauoris,
Quanta, ſatis cerno, ſit tibi cura mei.

Me pe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

Me penes at non eſt facundia tam bona, poſſem
  Qua fari, extiterit quàm benè grata mihi.
Hinc ego dum iuſta trutino mea cuncta bilance,
  Sæpeq́; me proprio metior ipſe pede,
Satq́; ſuperq́; ſcio, quàm ſit mihi curta ſupellex,
  Ingenio & paruo vena puſilla fluat,
Stemmatis excelſi cúm tu ſplendore coruſces,
  Conſpicuusq́; animi corporisq́; bonis,
Hoc de me, fieri vix vnquam poſſe putaui,
  Vt vel tantillum pollicerêre tibi.
At quia non meritis noſtris deuinctus ab vllis,
  Hæc præſtas, ſolita quæ bonitate facis,
Eſt tibi cur meritas ſoluam omni tempore grates:
  Has referam ſi non rebus, at ore pio.
Quid tamen hæc portet mea littera, fortè requiris?
  Quiſué ſtatus rerum hîc ſit modò, ſcire cupis?
Seria multa licet veniant dicenda, ſed illa
  Non hoc, aſt alio ſunt memoranda loco.
Aptius his tempus, dabiturq́; occaſio maior,
  Aptior aut alius, quæ tibi promat, erit.
Eſſe quid innuero? ſtat pro ratione voluntas,
  Auſis qua vanis irrita quæq; cadunt.
Inuenias certè quod demireris, & illum,
  Quid fuit, haud paſſu ſtare tenace modum.

Me quo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

Me quoq; tæderet, confuſa vbi ſingula, vitæ:
Ni promiſſa fides hoc tua faſce leuet.
Hanc mihi ferre velis: votorum hæc ſumma meorũ:
Quàm vereor, ne ſint illa modeſta parum.
PRINCIPIS ô noſtri, longos quem viuere in annos
Exopto, vulltu quando fruêre pio,
Fac, mihi ſe innata præſtet pietate benignum,
Clementi dextra meq́; meosq́; tegat.
Lucet in Oſtrogio clementia Principe conſtans,
Vnde etiam impoſitum nomen in omen habet.
Nec ſuus hæredisq́; ſui fauor eſt tibi primùm
Cognitus: effice vt huc cognitum & ipſe canam,
Et referam acceptum tibi, quod mihi fiet ab illis:
Pro me nil dubita vel tria verba loqui.
Nam dabis effectum, quod per te flagito primùm:
Nil tibi promtius hoc, nil mihi commodius.
Hinc ego, dum his oculis lumen cœleſte videbo,
Principibus noſtris, & tibi gratus ero.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]

48.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 356 [45,-152 4°]